DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI CŒLOQUE PHTHISI IDONEO.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHTHISI CŒLOQUE PHTHISI IDONEO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GOGILL LEATH,

Anglus

AD COPIAS BRITANNICAS CHIRURGUS,

SOC. REG. MED. EDIN. ET

MED. ET PHYS. NOSOC. GUID. SOC.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXX.

EXCELLENTIÆ SUÆ

JACOBO COCKBURN, BARONETTO,

INSULARUM BERMUDARUM

GUBERNATORI ET SUMMO DUCI PRÆFECTO,

&c. &c. &c.

CUJUS ANXIÆ CURÆ

PRO PUBLICO

UNIVERSÆ COLONIÆ BONO,

PROSPERÆ IMPRIMIS ET PROMPTÆ SOLLICITUDINIS

AD MILITUM IIS INSULIS COMMORANTIUM

SANITATEM TUENDAM,

QUASI LEVE DOCUMENTUM,

HOC TENTAMEN,

ANIMO

PROPTER MULTA BENEFICIA GRATISSIMO,

SUMMAQUE OBSERVANTIA,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

Τῶν δὲ νήσων, αἱ μὲν ἐγγὺς τῶν ἠπείρων, δυσχειμερώτεραί εἰσιν· αἱ δὲ πόντιαι, ἀλεειότερα τον χειμῶνα. Διότι αἱ χιόνες καὶ πάγοι ἐν μὲν τῆσι ἠπείροισιν ἔχουσι στάσιν, καὶ τὰ πνεύματα ψυχρὰ πέμπουσιν ἐς τὰς ἐγγὺς νήσους.

Hipp. De Diæta, Lib. ii. p. 211.

Optimæ æquales sunt, sive frigidæ sive calidæ: pessimæ autem quæ variant maxime. Cels.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

PHTHISI CŒLOQUE PHTHISI IDONEO,

COMPLECTENS.

J. G. Leath Auctore.

Sive multitudinem quotannis his insulis Phthisi pereuntem, sive pereuntium ingenium sortemque, juvenum, tenerorum, amabilium; sive fatalitatem fere inevitabilem eam comitatam, sive miserias demum lentum ejus perniciei sed con-

stantem certumque progressum obsidentes, contempleris, morbum quem illustrandum delegimus, quam maxime esse momenti confitendum erit.

Omnes qui numero in Britannia Phthisi pereuntium computando operam dederunt, immensum esse consentiunt. SYDENHAMUS duas partes eorum chronicis malis pereuntium Phthisi attribuit; HEBERDENUS quartam partem eorum qui adolescunt. Talis autem computatio, utcunque sagacibus auctoribus promulgata, infinitis erroris fontibus patescit, atque etiam documenta illa quibus ad eundem finem adeo diligenter illaboravit WOOLCOMBE, a vero certoque longe abesse necesse est; atque verisimile est, hujus, illorum, quoque aliorum scriptorum mortium, numerum multo nimis magnum esse. Si tamen compertum probabiliorem secuti, 40,000 capitum quotannis perire consideramus, atque cum totius populi censu comparamus, destructio immensa videbitur; atque nos confiteri coget, Phthisin potius endemicam quandam pestem esse, gravissimam nostri attentionem sibi vindicantem.

Phthisin Pulmonalem CULLENUS his verbis definit:

"Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta."

Duo deinde morbi tempora, sub speciei nomina, definit.

"PHTHISIS *incipiens*, sine expectoratione puris."

"PHTHISIS *confirmata*, cum expectoratione puris."

Variæ aliæ species auctoribus datæ sunt, sed propter incertam discriminationem, inutiles. Paulo ante cel. DUNCAN senior felicius rem per se difficilem aggressus videtur; nam species ejus per morbi signa haud difficulter internoscantur; atque post mortem, incisione facta, abunde confirmantur, curationem quoque singulis accommodatam postulant, ideoque summa attentione dignæ sunt. Tres fecit; *Catarrhalem, Apostematosam, Tuberculosam*; omnes causam proximam respicientes.

HISTORIA MORBI.

Principio, signa Phthisis adeo levia sunt, ut ægro ipso vix observentur. Tussis levicula primum notatur eo vel amicis, cum sputo muci exiguo, sæpe nullo. Brevi tamen debilitatis indicia manifesta, cum macie quadam febriculaque accedunt, atque minuta observatione utentibus, vultus etiam quid peculiare exprimere videtur, suspicionem excitans, accuratioremque inquisitionem suadens, quæ seriem indiculorum obscuram quidem, sed morbi pestiferam indolem evidenter prodentem, sæpe detexit.

Corporis macies amicis manifesta, primum sæpe iis discriminis metum incutit, paulatim hæc et debilitas augescunt. Æger, dolore vacuus, solitas occupationes sæpe quidem avidius hilariusque quam valetudo lenta poscere videretur, prosequitur. Debilitas post exercitationes olim impune subeundas, nunc se ostendit. Etiam levis, consueta, fatigat; scalarum ascensio universam molestiam, malorum omnium aggravationem,

gignit. Tussis præsertim sæpe excitatur et multa vehementia redit, cui et fatigationi præcedenti æger interim succumbit, vires tantum in situ corporis reclinato, recuperaturus.

Tussis nunc quotidie augetur; ab initio dura et sicca, vel sputum aliquod habens. Si sputum sit, copia et crassitudine augetur, nec raro sanguine tinctum. Sæpe accidit tussis inter noctem adeo gravis, ut quietem miserum privet. Appetitus cibi nunc imminui notatur, vomitu post pastum sæpe obveniente. Omnia hæc cum febricula, indies evidentiora evadunt; sputum uberius rejicitur, quod an muco, an pure compositum sit, seriam nunc considerationem desiderat.

Febricula nunc hecticam induit naturam, quarum CULLENUS præclare descripsit:

"Febris quotidie revertens; accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rarius apyrexia matutina; plerumque sudoribus nocturnis, et urina sedimentum surfuraceo-lateritium deponente."

Paroxysmi tamen haud raro quam in definitione, minus regulares sunt. "Meridianus" sæpe

aut indistinctus aut penitus deest: "Matutinus" quidem constantior est. Horroris sensus præcedit, calore exceptus, cui demum succedunt sudores, qui vix critici evadunt, febrisve remissionem absolutam reducunt. Quin debilitatem augent, eaque morbi processum accelerant. Sæpe per aliquod spatium paroxysmi febris leves sunt, stadiisque ægre notandis, accessiones caloris absque horrore, absque etiam sudore, pro longo tempore in nonnullis sunt.

Hectica sæpe post cibum recurrit, plenoque victu semper aggravatur. Namque inter hanc, contra quod in aliis febribus fit, cibi cupiditas remanet valida, atque medici sæpe et amici difficillime ægrum idonea copia genereque uti, persuadere possunt.

Sæpius tamen paroxysmus sudoribus excipitur, fere circa horas matutinas. Nonnunquam hi generales, profusi sunt, aliis partibus tantum contingentes, nullo modo boni.

Linguæ pruritas, hecticæ signum notabile est, nec minus morbosum quam in aliis febribus sordes.

Urina sæpe valde colorata, sed varia admodum, nec quid utile in morbo cognoscendo præstans.

Plaga florida, circumscripta, genæ, febrem stipat. Oculorum album vasculis rubris privatum, unionis nitorem æmulat, morbum sæpe satis indicans. Omne nunc hujus morbi signum exacerbatur; tussis quietem aufert, sputum pus haud ambigue demonstrat, sanguine sæpe striatum; sæpe quidem hæmoptysis adeo copiosa, ut vires jam labentes præcipitat, facile rediens si semel occurrerit.

Inter morbi processum alvus torpet; versus finem adeo soluta, ut ægrum jam ad carcerem properantem misere fatiget, diarrhœam mire fœtidam profundens. Sudores nocturnos diarrhœa sæpe comitatur, sæpius cum iis alternat. Exercitatio etiam per cubiculum impossibilis fit, ne lecto quidem se vertere tandem potest. Oculi facultate privantur, pedes, etiam abdomen aqua turgent. Macies ita intenditur, ut ossa nonnullis trans cutem exierint. Capilli decidunt, unguibus nunc aduncis, lividis. Facies collapsa, misera; delirium ante morbi finem, qui quidem tot

accumulatis malis acceleratus haud diu remoratur.

Hic fere morbi progressus; aliter tamen aliis exemplis ad eundem lethalem finem pervenitur. Quin aliquamdiu etiam suspenditur, post fallacem sanitatem gravius rediturus.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

PHTHISIS fere inter decimum quintum et trigesimum quintum annum occurrit. Causæ debilitatis omnigenæ, vita sedentaria, præsertim in aëre impuro, victus non satis nutriens, cœlum consueto frigidius, hominem phthisi proclivem dant. Præcipue tamen proclivitas de patre in prolem derivatur, Strumosa dicta, quæ sæpe prima pueritia latens, thorace deformi vel angusto se tandem prodit. Cervix longa est, elegans; humeri prominentes, digiti graciles delicati, cutis nitida, vultus roseus, venæ magnæ, vox tremula, imbecillis, sensus nervorum solito intensior.

CAUSÆ EXCITANTES.

Frigus præcipua est causa excitans, sive lecto parum ut decet sicco, sive corpore calente algoribus nocturnis objecto, contractum. Hac regione linteum pro laneo cuti proximum gerere mos est; quo fit ut corpus post liberam exercitationem vehementer algeat, linteo scilicet per se etiam calorem potenter abstructuro, jam sudore imbuto, et summam cutem refrigerante. Nam impervia ejus natura, transire aut abire sudorem non sinit. Affectus animi vehementes, mœror, frustratio, anxietas; intemperantiæ omnigena, evacuationes profusæ; opificia quædam insalubria, Phthisin directe excitare videntur. Varii morbi, ut hæmoptysis (quamvis, pace Culleni egregii, hæc effectus morbi quam causa sæpius videtur), asthma, variola, rubeola, scrofula, catarrhus, pneumonia. Licet hæ duæ ultimæ dictæ diversas morbi species sæpe generent, Tuberculosam quoque sæpe excitant, incrementum tuberculorum promovendo. Hæc species perniciosissima

est, atque in *prœdispositis* sæpe per annos plures latenter increscit.

Nonnullæ Europæ australis gentes, Phthisin contagiosam credunt, cauteque evitari jubent; nec desunt apud nos idem fere opinantes. HEBERDENUS clarissimus medicus credidit, paucos tamen eum sequi video. Quinetiam si morbus adeo frequens contagiosus fuerit, documenta ejus naturæ, mihi persuadeor, infinita extitissent, controversiamque jamdudum solvissent.

DIAGNOSIS.

PHTHISIS incipiens catarrho communi difficillime discriminatur; adeo quidem ut medicum serius appellare deceptus æger soleat. Ante sputum purulentum historia morbi, vitæ genus, proclivitas si ulla ad morbum prævia, signorum progressus, nos dirigere debent. Quæ signa debilitatem quoque insolitam habent, cum macie, pectoris aliqua molestia, catarrhus præter consuetudinem durabundus, aliæ functiones læsæ. Si his quoque sputum purulentum adjiciatur dia-

gnosis manifesta erit. Ut pus evincatur, sputum acido sulphurico solvitur; si quid, aqua adjecta, præceps detur, pus erit; supernatans vero, mucus. Idem sputo alkali soluto fieri dicitur. Sed magis oculis digitisque nostris quam huic sæpe fallaci chemiæ fidendum est.

Cum asthmate, hæmoptysi, chlorosi confunditur. Hæc distinguitur appetitu cibi bono, pallore cum rubore alternante, nec ut chloroticis viridi: oculorum nitore, pulsus robore, plantarum palmarumque ardore, mentis perpetua hilaritate, nunquam chloroticis videndis, quibus præter animi depressionem, rerum non esculentarum cupiditas superadditur. *Prædispositis*, nimia de catarrhis fortuitis solicitudo esse non potest. Initio enim solo insidiosum malum propugnabitur, id quod CELSO probe intellectum est: "Quod si mali plus est, id vera Phthisis est; inter initia protinus occurrere necessarium est, neque facile enim hic morbus, cum inveteraverit, evincitur."

Quibus vasa pulmonum delicatiora putantur, præsertim si tubercula simul adsint, tussis, pulmones agitando, præsertim febricula auxiliante,

parva forte vascula disrumpat, phthiseosque fundamenta ponat. Hinc sputa sanguine striata, modo inter signa prima, modo post morbus provectus sit, vel pus sese manifestaverit. Licet Phthisis vera sic generetur, sæpius occurrit quod plurima Phthisica ex catarrho signa æstate abierunt, valetudine restituta. WILLANUS has non Phthisin esse veram putat affectiones; sed membranæ pulmonum mucosæ secretionem vitiatam, puriformem inflammationis progeniem, raro sed aliquando lethalem factam.

PROGNOSIS.

PRÆSAGIUM nunquam faustum; sed paucorum servatorum historiæ, memoriæ medici alte recondi debent, ne spe abjecta, remedium ullum probabile inexpertum relinqueretur.

Phthisis apostematosa, seu abscessu oriunda, sæpe sanata est, tuberculosa, fere "meluctabile fatum" constantissime adsciscit. Maniæ impetus nonnullos pro tempore eripuit malo; cito tamen, hoste sublata, funeste redituro. Gravidus quo-

que uterus malum pro tempore suspendit; ibi quoque post partum regrediens, necemque accelerans. Graviditates tamen iteratæ, unam alteramve fœminam perduxerint ad eam ætatem cui minus infesta est Phthisis, tandemque ad sanitatem. Puerum lactentes plerasque phthisicis morbo afficit; tamen matres nonnullæ infantem suum lactando, vitam sibi, phthiseosque immunitatem conservaverunt.

Quando tubercula subesse suspicamur, sputum manifeste purulentum est; cum multa macie, debilitate, sudore profuso, hectica vehementi, diarrhœa, et affectibus hydropicis, spei fere nullus est locus; etiamsi talium quoque exempla ab illustrissimo Gregorio inter prælegendum narrentur.

CURATIO.

Si forte metus hujus morbi prius sit fabrica pulmonum læsa, fuerit irritationem leniendo victuque refrigerante inflammationem sedando, progressum Phthiseos sæpe prorsus cohibere vale-

bimus. Hoc consilio, primis catarrhi indiciis fortiter obstandum erit; præsertim si prædispositis occurrant: omni conatæ cavens ne ista in phthisin degenerent.

Si pulsus citus, ardor febrilis, dolor in pectore, vultus floridus, aliaque signa excitationis adsint, necessarium erit sanguinem abstrahere, omnibusque commodis refrigerandi modis uti oportebit. Quum vero debilitas insignem hujus morbi partem constituat, id nunquam e memoria excidere debet; atque si plus sanguinis detrahendum videatur, melius per hirudines vel adhuc utilius per Cucurbitam de pectore auferatur, vesicatoriis interim effectum adjuvantibus. Hæc quidem sæpe inflammationem topicam efficacissime sublevant.

Pari rationi sales medii aqua tabefacti potuque dati, alvi actionem aperiunt et liberant. Horum parvæ portiones vim sedatricem exercent, atque consilium nostrum potenter expediunt. Victus simul refrigerans, parcus, potus acidis vegetabilibus acidulus. Digitalis in hoc morbi stadio utiliter agere visa est, inflammationem cohibens, irritabilitatem generalem sedans, tussis

quoque violentiam consopiens, quæ alioquin morbi signa omnia aggravabat. Opiatis quæque, inflammationem accensuris, supersedit.

Quum tamen attentio diligentissima regimen antiphlogisticum, et remediorum adhibitio nihil valent, saltem spem citæ restitutionis, non præstant, ad regionem calidiorem, eoque pulmoni laboranti faustiorem, migrandum erit. Tali mutatione, *potentiæ nocentes*, multæ evitatæ erunt, atque ipsa aëris mitioris inhalatio remedium erit commodissimum.

Hactenus quidem, calorem, qualem loci circulus latitudinis indicet, medici respexerunt; commoditates alias, phthisicis haud minus necessarias neglexerunt; atque eos ideo ad loca relegarunt etiam nostra infestissima talibus regione, multo graviora.

Quum vero æstus regionum tropicarum nimis debilitent, Gallia australis, Hispania, Sicilia, Ulyssippo, Insulæ Canarienses, Bermuda, Azores, etiam Carribææ, omnes laudatæ fuerunt. Laudes tamen tantæ experientiæ non confirmatæ sunt, quin et plurima ex his locis tabidis nocere auctores locupletes sunt. Doctor GORDON Madei-

ram expertus, phthisicos eo mittere amicos vetuit. Doctor Gourlay cum Adams quidem Madeiræ hyemare suadet, sed catarrhum, etiam phthisin genuinam ibi crebro nasci docet.

Bermuda, Rei Britannicæ administratores valetudinarium ægris et convalescentibus Indiæ Occidentalis patefacere decreverant. Has insulas porro diverticulum esse copiis ad regionem calidiorem destinatis, quo paulatim graviori cœlo assuescerent, iidem voluerunt. Sed medici militares insularum salubritatem exploratum missi, adeo infauste de ea retulerunt, ut propositum projectum fuerit.

Hæ insulæ, si quæ aliæ, præjudicii exemplum manifestissimum præstant. Ibi per annos aliquot, rei medicæ militari curator præfui, et ibi multa salubritatem earundem refutantia, didici. Quo melius de vera, præsertim in Phthisicos, earum salubritate, certior fierem, literas circulatorias medicis insularum istarum transmisi, quibus de Phthisi omnes responderunt, insulas istas insalubres esse, quin præcipium esse morbum quibus subjiciuntur, endemice quasi grassantem. Sexta fortasse ibi morientium pars, Phthisi extinguitur.

Medio Oceano Atlantico positæ, 600 millibus passuum a Continente Americana distantes, humiles utpote quæ nusquam 200 pedibus mare extent, nihil iis est, quo a tempestatibus ea regione creberrimis se tueantur. Infames olim tempestatibus fuerunt, donec poëmata WALLERI errorem animo publico induxerant, amabilique philosopho BERKLEIO haud mediocriter imposuerant, sic ut hodie etiam Phthisicum huc mitti convalescendi gratia, minime rarum est.

In hac Oceani Atlantici parte notatum est, rivum quendam valde vehementem omni anni tempestate dominari: qui ad occidentem, ab oris Africæ ad Indiam Occidentalem vergens, et in Sinum Mexicanum intrans, aquarum tantum cumulum ibi facit, quantus exire nequit nisi secundum littora, iterum inter Cubam et peninsulam Floridæ in oceanum exiturus. Cursus aquarum ita institutus velocissime oram legit ad septentrionem, tum ad orientem flectens, brevia terræ recens inventæ stringit, post quod in duos magnos rivos dividitur, unum ad partes N. E., alium ad partes S. E. versus, jacentes directum. Horum prior littora occidentalia Britanniæ et

Norwegiæ verrit, maria quoque borealia pervagatur. Secundus per Atlanticum, perque Azores, versus Africa littora transiens cum fluento rursus jungitur, circulum ita prope modum describens, itaque immensam portionem Oceani Atlantici in amplum vorticem convertens, cujus alterum focum Insulæ Bermudæ occupant.

Aëris rivus atmosphæra ambiente multo calidior, hunc aquarum cursum sequitur, qui quidem ipse *(currens)* multo calidior est quam oceanus per quem fluit.

Perturbationes harum rerum fortuitæ sunt, quæ originem magnis et frequentibus cœli hujus loci mutationibus præstant.

Primis æstivis mensibus venti a rhombo S. E. crebro fluit, et cum vi satis magna Insulas verrunt. Hoc tempore aër sæpe fit subito calidior humore onustus, corpus languore intolerabili afficiens, quo animus valde depressus est. Vestimenta humiditate onusta sunt, ferrea omnia lævata rubigine fœdantur.

Proxime accedunt æstatis torridi ardores, Malacia circa insulas fere simul circumjecta. Qui febrem flavam tunc evadunt, debilitate tamen

corripiuntur, quæ proclivitatem plerisque ibi familiis hæreditariam valde auget, causisque per hyemale vernumque tempus sævientibus, homines valde proclives reddunt. Per hyemem fere semper, turbones violenti alii super alios a rhombo N. W. i. e. de Americæ littoribus ruentes, jam montes illius terræ nivales transvecti, calidum super fluentum dictum facile penetrant, atque cœlum harum insularum, omni quæ fieri potest temperiei variatione, sæpe intra paucas horas, afficiunt.

Procellæ tamen istæ Euro-septentrionales corpus multo vehementius quam thermometrum afficiunt. Hoc raro intra 40° Fahr. deprimunt; insulam tamen, præsertim valetudinarii, vix tolerare possunt. In quatuor annis, thermometrum inter 45° F. et 86° F. vacillare, nec ultra vidi, præter diem Februarii quo 41° F. notabat. Hæc variatio tam prope circulum tropicum utique non mediocris est.

Sed hoc cœlum non incolis solum iniquum est; advenis, ut sæpenumero vidi, haud minus infestum se ostendit, valetudinarios sæpe quasi præcipitans.

Similem sententiam, et jure, de Maris Mediterranei littoribus Doctorem S. SINCLAIR tueri video, cujus Dissertationem, a cel. DUNCANO juniore in Clinicis Prælectionibus laudatam audiens, nuper legi: illa Phthisicis infesta expertus docet.

De India Occidentali, Doctoris HUNTER, cl. GILBERTI BLANE aliorumque testimonia nihil sperandum relinquunt; in America morbus jamjam, ut in Philadelphia notum est, gravissime populatur.

Aliæ igitur quam calor causæ beneficii nonnullarum regionum ingenii quærendæ sunt: hæ fortasse topicæ erunt, atque generales. Priores a multis rebus necessario pendent; a continentibus magnis, oceano contiguo; montium jugis, paludibus, terrarum altitudine, et cultura, incolarum vita moribusque, et similibus. Aëris ambientis mutationes quoque multum efficient.

Causæ generales pauciores, at non minus efficaces sunt. Sic India Orientalis continens unica immensa est, oceano circumjecto vix aut ne vix quidem afficienda. Cœlum igitur constans, nec nisi ventis facile prævisis periodicis

mutatum, possidens. Hac si ulla regione, conjecturæ medicorum de cœli mutati efficacia in Phthisi sananda experimento corroborari debent. Mihi quidem ibi confirmatum iri videntur, nam etiamsi annos aliquot ibi chirurgi legionarii muneri deservirem, tam per Mahrattas et Coromandel, quam Insulam Zeyloniam, phthiseos pulmonum ibi unicum exemplum vidisse vix memini, neque morbum vel levissime inter indigenas prævalere audivi. Nuper tamen certior factus sum, Caffrorum legionem primitus de Mozambiqua insulisque contiguis advectam, multum ab hoc morbo vexatam esse. Hujus casus singularis nulla ratio reddita est.

Cum cœli mutatione, commoda ex longis navigationibus considerentur. Innumera exempla talia commoda confirmant; sæpe tamen parum prodesse navigationem auctores locupletes sunt. Lenis, dicunt, continuaque exercitatio, de motu navis et absque fatigatione conciliata salubris etiam efficacia aëris maritimi, plusquam æqueponderatur innumeris incommodis navigantibus ex necesse perpetiendis.

Ubi cœli mutatio negatur, conclavis temperies, diæta, exercitatio, vestimenta, diligentissime regenda sunt.

Temperies Phthisicis optime conveniens 65° ad 70° F. exprimitur, qui calor facile in conclavibus quæ occupat aut forte invisit æger conservari potest. Hac sola cura medici nonnulli phthisin sanari sperant. Vestiatur indusio laneo, totum corpus a collo deorsum contegente, non tamen adeo crasso ut sudorem supra modum eliciat.

Diæta res est maxima attentione digna. De ea nihilominus medici mire dissenserunt; aliis victum nutrientem, levem, potiusque parcum, aliis omnino contrarium, usui commendantibus. Diæta quam experientia comprobavit, levis est et nutriens, vegetabilibus farinaceis, cum levibus jusculis animalibus; lacte ne ventriculum offendat, constans. Plerumque fructus subacidi, et acidum aurantii vel limonis, aliorumque ejusmodi gratissima, simulque saluberrima aliquando ægro reperiuntur. E lactibus, asininum maxime laudatum est; non vero uti vulgo, pro medica-

mine, sed pro victu large propinari debet: sic præclare Professor Home in Prælectionibus.

Quousque exercitatio conveniat, sæpe medico considerandum est. Sydenhamus miris laudibus extulit, sed successores has non sustinuerunt. Illustrem illum ac prudentissimum virum non temere opinionem de ea formasse, ostendunt præcepta sagacia quæ de ea tradidit. Certe aliorum experientia secundum hæc præcepta, aut adoptari aut refelli meruit. Verba sunt: "Modo æger curet, ut linteamenta lecti probe fuerint arefacta, atque etiam ut satis longa itinera emetiatur. Attamen hoc notandum, quod vitæ ἀκμὴν prætergressis multus diutius in hoc exercitio persistendum, quam infra istam ætatem positis. Atque hoc multiplici experientia, quæ vix me fefellit unquam, didici: et licet equo vehi phthisicis præcipue conferat, tamen et itinera curru facta mirandos sane effectus quandoque ediderunt." Quæ præcepta, si medici satis animadverterint, fieri posset, ut plures iis sanitate restiturentur, nam hodie ut parum probabilia negligi videntur.

Vix ullum remedium nostrum temporum adeo confidenter usui medicorum commendatum fuit, ac digitalis purpurea. In corpus animale utique vehemens imperium exercet. Facultas ejus, qua sanguinis motum circulantem retardare valet, atque potestas nostra hunc effectum ex arbitrio continuandi ad tempus quod libet naturaliter, in morbo quo pulsus celerior signum erat molestissimum, magna promittere videbantur. Vis quoque ejus absorptionem ciendi spem augebat. Hinc plurimæ, ut credebantur, phthiseos medicationes etiam bonis auctoribus decantatæ, quas tamen utinam experientia recentior, eoque cautior, non refellisset. Quin et repererunt digitalem, utcunque caute adhibitam, vires suas accumulare solere: donec hæ tandem, quasi agmine facto, gravissime erumperunt. Hinc factum est, quod hodie digitalis specifica virtus penitus negligatur; nunc ut pulsum reprimat, aut absorptionem expergefaciat, sola exhibetur. Nunquam enim hodie spe phthisin sanandi a medico præcipitur.

Emetica etiam crebro exhibita insignes laudes tulerunt. Doctores Marryatt et Sinter sul-

phatem cupri, cum tartrate antimonii et ipecacuanha sæpe repetitam usui commendarunt. Multi medici hanc curationem secuti sunt, atque efficaciam ejus testimonio suo corroborarunt; alii tamen condemnant, nimium laudatam, multumque instantes periculo habere perhibentes. Nonnulli etiam expirasse animam, sub sicco emetico dicuntur; atque mihi saltem, vomitoria multo nimis incerta et periculosa apparent, ut remediis pro phthisi curanda annumerari mererentur, ea saltem generali nec satis discriminata ratione qua suasum fuit.

Non desunt tamen quæ remedia, nauseam perpetuam conservantia, sine tamen pleno vomitu, utilissima fieri evincant. Talibus medicamentis adolescentulam nuper signis phthisi tuberculosæ manifeste laborantem, illustrissimus JENNER integræ veletudini restituit; conjicit enim: "Ventriculo et intestinis, ita muneribus solitis perturbatis, dum absorbentibus pabulum naturale, parcum deterioreque natura redditur; ut hæc, tanto avidius non solum res, uti solent, extraneas hauriant, sed et tubercula corpori ingenita comprehendant auferantque." Inter remedia hujusmodi digitalem, scil-

lam, nitrum, sulphatem zinci, navigationem, librationem, &c. &c. quorum multum non aliquando utile visum est, atque fortasse nausea inducendo, præter vires absorbentium excitandum, nauseosa quoque motum sanguinis multum reprimunt, et hoc modo fortasse ad eundem effectum partim contribuerint.

Ubi exercitationem in equo æger ferre nequit, gestatio in vehiculo sæpe commodissime adhibeatur; atque ubi etiam hæc nimia est, navigatio tentetur; libratio, quæ similiter vertiginem aliquam inducit, vehementer nonnullis elata est, sed plenior experientia laudes non confirmavit, atque ut aliud exercitationis genus, præcipi solet.

Lintea humidula, aër nocturnus, etiam aër apertus in tempestate, nubila, humida, frigida, caute vitanda sunt. Nec nisi sudo siccoque cœlo, quod animum forte exhilaret, e conclavi prodire audeat.

Omni tamen cura et diligentia nihil obstantibus, morbus plerumque procedet, longamque malorum propaginem cursu explicabit. Hæc mitigare, aut molestia quodammodo privare, maxi-

mam partem curationis Phthiseos confirmatæ constituit.

Dolores pectoris topicis sanguinis detractionibus sæpe levantur; caute tamen ne debilitatem nimiam gignant. Vesicantia magis utilia sunt minusque infirmant. Opiata et mucilaginosa tussim solummodo compescunt, vel succus spissatus hyoscyami nigri; qui quidem sæpe deligitur ubi alvus adstricta est, quoniam hanc potius laxare tendit. Lactucarium ad irritationem tussimque sedandam præscriptum est.

Picis liquidæ odor, resinæque, multum usurpatus est; per cubicula scilicet ægrorum materiis combustis; nec ut alii putarunt sine evidentissimo beneficio. In multis tamen nullum beneficium ad eum vestigari potuit.

Ubi morbi progressus lentus est, atque signa urgentia pro tempore allevari aut suspendi videntur, multum a virium per tonica redintegratione medici sperarunt. Hoc consilio, cinchona exhibita fuit, sed raro, ut credo, cum ullo beneficio. Ferri præparationes atque balneum frigidum quoque tentata sunt. Carbonatis ferri cum

myrrha conjunctio, in mixtura celebri GRIFFITHII, confidentia medicorum diu fructa est.

Aquæ medicinales multis exemplis usui maximo visæ sunt; adjutæ ut fere sunt, tempestate anni geniali qua aquas potum ægri mittuntur, societate grata, locorumque ipsorum amœnitate.

In mediis, ultimisque morbi stadiis, sæpe fit, ut ingentes sanguinis profusiones a pulmonibus occurrant, vires ægri celerrime præcipitantes, morbique terminum urgent. His exemplis frigus corpori, per laneum frigida madefactum, eique circumvolutum, applicandum est, ut hæmorrhagiam cohibeat. Acidum sulphuricum intus datum haud mediocrem exhibet efficaciam. Opiatis quoque, ut irritabilitatem compescant, usus atque temperies uti supra frigidiuscula habere debet.

Sudores noctu occurrentes optime sedantur acidis fossilibus, præsertim sulphurico; aqua calcis cum lacte, si modo ventriculo conveniat. Parvulæ quoque vini portiones cum pane, bis cocto eo madefacto, vigorem aliquem corpori exhausto præstant, multumque auxilii temporarii præstant.

In ultimis præcipue morbi stadiis, ubi vires ægri multum exhaustæ sunt, diarrhœa supervenit. Hæc nunquam occurrit, quin ægros misere affliget; robur enim, quantulumcunque restitisset, nisi statim supprimatur, cito aufert. Fluida mucilaginosa cum roborantibus mitibus astringentibus, qualia sunt Colomba, Lichen islandicus, fructus subacidi: utiliter exhiberi possunt. Sæpe necessarium fit astringentia majoris efficaciæ advocare, kino, extractum Hæmatoxyli Campechiensis, aliaque smilia.

Infinita pene multitudo remediorum in hoc morbo pro *specificis* prolata sunt: vomitoria jam supra diximus; et diæta supra modum nutriens, ex carne, cum plena vini copia; totum genus balsamorum, quorum affectus noxior cel. FOTHERGILL indicavit; aqua picis, conium maculatum, tussilago, alkalia, lichen islandicus, caro viperina in jusculum cocta. Sed hæc postquam plenam vulgi sanctionem fidemque accepissent, experimentis cauti atque bene docti medici nihil utile præ aliis jam oblivio traditis possidere inventa sunt, ideoque meritissimo in desuetudinem decidere permissa sunt.

Ita, qua accuratione atque fidelitate potui, res præcipuas in natura, causis, et curatione hujus dirissimi, atque hactenus lethalis morbi, delineare conatus sum, quousque scilicet angustiæ nostræ sinerent. Atque quanquam non novam ullam seu solita feliciorem curandi rationem proponere ausus sim, attamen monita quæ experientia propria suggessit, quod ad quædam ex lædentibus in morbo tractando haud inutilia fore spero; atque si observata istiusmodi judicibus meis doctis placeant; eorum auctoritas dignitatem genuinam impertiet iis utcunque minutis.

FINIS.